4. *Atque in prima exprimitur omnis trianguli rectilinei rectanguli angulus acutus minor.*

5. *In septima autem ei è regione collocatur ejusdem rectanguli angulus acutus major.*

6. *In secunda columna sunt sinus arcuum primæ columnæ.*

7. *Suntque hi crus minus subtendens minorem angulum rectanguli, cujus basis, seu hypotenusa est sinus totus.*

8. *In sexta columna sunt sinus arcuum septimæ columnæ.*

9. *Suntque hi crus majus subtendens majorem angulum ejusdem rectanguli, cujus scilicet hypotenusa est sinus totus.*

10. *Unde omni triangulo rectilineo rectangulo fit æquiangulum & simile ex sinu toto, & sinu secundæ columnæ, & sinu sextæ ei è regione respondente.*

11. *Tertia columna continet Logarithmos arcuum, & sinuum sinistrorum.*

12. *Qui sunt Logarithmi proportionis cruris minoris rectanguli ad ejusdem hypotenusam.*

13. *Itemque hi sunt arcuum, & sinuum dextrorum Logarithmi complementorum, quos antilogarithmos appellamus.*

14. *Quinta columna continet Logarithmos arcuum, & sinuum dextrorum.*

15. *Qui sunt Logarithmi proportionis cruris majoris rectanguli ad ejusdem hypotenusam.*

16. *Itemque hi sunt arcuum & sinuum sinistrorum antilogarithmi, seu Logarithmi complementorum.*

17. *Quarta denique seu media columna continet differentias inter logarithmos tertiæ columnæ, & quintæ. Unde duplex est hæc columna, Abundans & defectiva.*

18. *Abundantes, sunt differentiæ, quæ oriuntur ex substractione logarithmorum quintæ à logarithmis tertiæ.*

19. *Defectivæ verò, sunt differentiæ ortæ ex subductione logarithmorum tertiæ à logarithmis quintæ: quæ ideo sunt minores nihilo.*

20. *Differentiæ abundantes dicuntur differentiales numeri, arcuum sinistrorum.*

21. *Suntque logarithmi proportionis minoris cruris rectanguli ad eiusdem crus maius.*

Itemque

22. *Itemque sunt Logarithmi secundorum, sive tangentium arcuum sinistrorum.*

23. *Differentiæ autem defectivæ dicuntur numeri differentiales arcuum dextrorum.*

24. *Suntque Logarithmi proportionis majoris cruris rectanguli ad ejusdem crus minus.*

25. *Itemque sunt Logarithmi secundorum, sive tangentium arcuum dextrorum.*

26. *Omnis etiam arcus sinister, ejusque ad semicirculum reliquus, dicitur arcus complementi arcuum, sinuum, & Logarithmorum dextrorum, atque differentialium defectivorum.*

27. *Et contra, omnis arcus dexter, ejusque ad semicirculum reliquus, dicitur arcus complementi arcuum, sinuum, & Logarithmorum sinistrorum, atque differentialium abundantium.*

Admonitiones.

28. *Hic notandum est, si Logarithmos tertiæ columnæ defectivos feceris (præposito scilicet —— signo,) fient Logarithmi hypotenusarum, sive secantium arcuum dextrorum septimæ columnæ.*

29. *Et hi etiam fient Logarithmi proportionis hypotenusæ rectanguli ad ejusdem crus minus.*

30. *Et si Logarithmos quintæ columnæ defectivos feceris, fient Logarithmi hypotenusarum, sive secantium arcuum sinistrorum primæ columnæ.*

31. *Fient etiam hi Logarithmi proportionis hypotenusæ rectanguli ad ejusdem crus majus. Verùm quia ad rectilineorum scientiam comparandam, soli sinus, eorumque arcus, & logarithmi cum differentialibus: ad Sphæricorum autem, spretis similibus, soli arcus, & eorum logarithmi, & differentiales sufficiunt: ideo hypotenusas & secundos tabula excludimus: sicuti & sinus ipsos in sphæricis negligi volumus. Ostendemus tamen obiter te posse (si libuerit) eis omnibus satis expeditè in rectilineis uti, in sphæricis verò minimè.*